



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Flores Meditationvm

Bebius, Philippus

Coloniae Agripp., 1623

Medit. 12. De Apostol. testimonio & persecutione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59636](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59636)

merita, per quem Deus pacificare vult omnia quæ in coelis, & in terra continentur.

3. *Petite & accipietis.* Causa paupertatis tuæ spiritualis (defectus gratiæ cœlestis & virtutum solidarum) tu ipse es, tua negligentia & tarditate; quia Deus ipse semper largiri paratus est, modo tu petas, & ad eius voluntatem te pariter accommodes.

4. *Petite, ut gaudium vestrum sit plenum.* Rebus huius mundi (v. c. diuitijs, voluptatibus) anima, quæ naturæ cœlestis est, saturari ac repleri non potest. Vnde ad Deum ipsum ac res cœlestes (quibus integrè acquiescit ac repletur) aspirandum est; tum in hac vita, in qua similitudo quædam beatitudinis habetur; tum in futura, in qua Deus veram & integram fœlicitatem electis suis ostendet, & erit OMNIA IN OMNIBVS.



MEDITATIO XII.

DE APOSTOL. TESTI- MONIO AC PERSECVTIONE.

PVNCTA MEDITATIONIS.

I. *Dixit IESVS Discipulis Spiritus san-* Ioan. 15.
ctus testimonium perhibebit de me, & 16.
& vos testimonium perhibebitis.

II. *Ne scandalizemini; absque Synago-*
gis facient vos.

III. *Venit hora, cum, qui vos occiderit,*
arbitrabitur obsequium se præ-
stare

stare Deo, recordamini quia dixi vobis.

PROPHETIÆ.

- Pf.* 18. 5. **I**N omnem terram exiit sonus eorum; & in fines orbis terra verba eorū, quod de Apostolis dictum esse S. Paulus explicat.
- Ro.* 10. 18. **P**ropter te mortificamur tota die, & stimati sumus oves occisionis ad Rom. 8. 36. applicat.
- Psal.* 43. 22.


DOCUMENTA.

1. **S**PIRITVS sanctus est paracletus, id est, consolator, vt scias te vel alium quempiam, habere Spiritum sanctum, si miseris atque afflictis viscera misericordiæ ostendas.
2. Est item Spiritus veritatis, vt si Spiritu sancto frui velis, falsitatem omnem detestaris, tam in verbis, (omne mendacium etiam iocosum aut officium deuitando) quam factis seu vita ipsa, curando vt talis in rei veritate sis interius, qualis apparere optas exterius.
3. Spiritus sanctus primum testimonium perhibuit Apostolis de Christo, eos de diuinitate eius instruendo & inflammando interius, vt ipsi postea, incensi calore illo cœlesti ac diuino, alios inflammarent: Id ipsum & tu conare, vt feruorem internum, sancti Spiritus ope concipias, quem in alios, occasione data, aut quaerita diffundas; nec quicquam patiaris in Christum, Sanctos, in Ecclesiam, aut eius Caput (Pontificem) proferri.

Chri-

4. Christus sapissimè prædicit Apostolis per-
secutiones & odium Iudæorum, Gentilium,
&c. ne inter patiendum deficerent, aut se de-
ceptos putarent. Et tu (si aliorum curam ha-
beas) conare eos non tantum ad bonam vitam
adducere, sed in eadem retinere, vt proficiant;
Neque tu ipse aut labore & contradictionibus
tristeris, aut ab incepto defistas; quin potius
plura faciendo ac patiando, coronam tuam in
cælis augeas.

5. Iudæi ac Gentiles, vt phrenetici in Apo-
stolos (Medicos ac Doctores) insurrexerunt,
eosque occiderunt, quos postea (ad Deum cõ-
uersi) honorarunt. Id ipsum etiamnum, inter
hæreticos ac malos Christianos euenit, qui
pios Doctores ac Deo addictos persequuntur.
Tu exemplo Apostolorum, ad acerba omnia
pro Deo perferenda præpares, sciens summam
esse caritatem, si animam pro Deo ponas.



MEDITATIO XIII.
DE NICODEMO.

PVNCTA MEDITATIONIS.

- I. *Nicodemus, Princeps veniens ad IESUM noctu, petijt, instrui, agnos-
cens eum Magistrum à Deo missum,
ob signa, &c.* Ioan. 3.
- II. *Christus prædicans ei baptismũ & spi-
ritalem vitam ait: Nisi quis renatus
fuerit*